



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XVIII. Deum extra memoriam non posse agnosci, adeoque nec inveniri: nihil enim invenimus, nisi quod ex imagine, quam intus tenemus, recognoscimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

N O T Æ.

- a *Sive per presentiam, sicut artium*) censuit S. D. artes, ipsamque animam, aliaque ipsi inhærentia sine speciebus ab intellectu cognosci, eo videlicet, quod sufficienter sint ipsi unita: imagines vero solum requiri putabat, ad supplendam objecti absentis, aut non existentis præsentiam. Communiter tamen Theologi ac Philosophi do- V. S. Th. cent, species intelligibiles ad horum quoque co- 1. p. q. 55. gnitionem esse necessarias, quod non est nostri a. 5. Mol. instituti examinare. ibid. a. 2. d. 1. Con.
- b *Sive per nescio quas notiones*) Species affectuum & conceptuum notiones potius vel notationes appellat, quam imagines: ad distinctionem credo 3. de ani- 3. a. 2. specierum aliarum, nam re ipsa istæ notiones, quibus affectus actusque nostros cognoscimus & notamus, non minus sunt imagines, quam species rerum aliarum.

C A P. XVIII.

Deum extra memoriam non posse agnosci, adeoque nec inveniri, nihil enim invenimus, nisi quod ex imagine, quam intus tenemus, recognoscimus.

1. **S**I præter memoriam meam te invenio, immemor tui sum. Et quomodo jam inveniam te, si memor non sum tui? Perdiderat enim mulier drachmam & quæ- Luc. 15. sivit eam cum lucerna: & nisi memor ejus esset, non invenisset eam. Cum enim esset inventa, unde sciret, utrum ipsa esset, si memor ejus non esset? Multa memini me perdita quæsisse, atque invenisse. Vnde istud scio? Quia cum quærerem aliquid eorum, & diceretur mihi, numquid forte hoc est? num forte istud? tamdiu dicebam, non est: donec id offerretur, quod quærebam. Cujus

R

jus

jus nisi memor essem, quicquid illud esset, etiam si mihi offerretur, non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quærimus, & invenimus.

2. Veruntamen, si forte aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet visibile: tenetur intus imago ejus & quæritur, donec reddatur aspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine, quæ intus est, recognoscitur. Nec invenisse nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus: nec agnoscere possumus, si non meminimus, sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur.

N O T Æ.

Clara & elegans est hæc S. D. doctrina, unde optime concluditur, Deum intra memoriam quæri debere, & aliquam illius notionem, sive conceptum saltem obscurum nobis insitum esse.

C A P. XIX.

Ipsam memoriam, cum aliquid per oblivionem amittit, non aliter ejus reminisci, quam aliquid simile vel connexum cogitando, quod si omnino aboleatur, nec amissum quæri potest.

1. **Q**uid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, & quærimus, ut recordemur: ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respicimus, donec illud occurrat, quod quærimus, & cum